



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Diff. 4. an tertia operatio & non sola Demonstratio sit Objectum
materiale Logicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

usu phantasmatum materialium, eo quod nostræ scientiæ dependeat à sensibus. II. In modo rerum cognoscendarum, qui est ex uno noto, devenire in cognitionem ignoti, & hæc cognitio vocatur discursus. Alter verò cognoscendi modus, est quædam imitatio modi cuiusdam Divini & Angelici cognoscendi, qui modus cognoscendi in hoc est dissimilis Angelico, quia dependet à phantasmatibus materialibus & sensibus, in hoc autem est similis, quia sicut uno actu & intuitu plura noscunt, ita & nos unico actu indivisibili, plura etiam interdum cognoscimus, idq; conformiter ad objectum, & sine ullo discursu & illationibus formalibus, quas etiam non faciunt Angeli, & hoc maxime apparet in definitione, quæ licet in ante prærequirat ordinariè cognitionem v. g. animalis & rationalis, in ipso tamen actu definiendi utrumque hoc uno intuitu cognoscit. Nec officit, quod non discurrat, quia & DEUS Angelique non discurrunt, & tamen salvatur in illis ratio scientiæ, ipsaq; propositiones possunt esse certæ & evidentes, unde propositionibus tribuitur, quod sint æternæ veritates, adeoque scientifiæ, licet usus communis, nomen scientiæ potissimum discursui applicet, tanquam magis obvio modo. Definitiones enim v. g. non sunt obviæ, & paucissimæ habentur. Ex quo deduces licet secunda operatio non faciat formaliter scire discursive & modo hominibus proprio antonomasticon, facit tamen formaliter scire, modo ut ita dicam Angelico & divino.

INSTABIS I. Propositio non est Ratiocinium, quantumvis sit certa & evidens, neque est cognitio per causam. Ergo secunda operatio non facit formaliter scire.

RESPONDETUR. Negando solum Ratiocinium facere scire. Debetque scientia esse per causam, ea, quæ est magis obvia in humanis, sed non scientia absolute.

INSTABIS II. Per secundam operationem tanquam per instrumentum sciendi, non deveniunt scientiæ ad cognitionem conclusionum de suis objectis.

RESPONDETUR. Tam per definitiones in suis materiis, quam per enunciationes, consequi finem suum scientias; nec est necesse omnem modum scientiæ deservire ad cognitionem conclusionum, cum non sola cognitio conclusionum sit modus sciendi. Et si istud deservire conclusionibus, sit unice ad scientiam necessarium, sufficiet deservire aptitudinale & in potentia, licet non deserviat actu, quod deservire aptitudinale, competit enuntiationi comparatè ad syllogismum.

INSTABIS III. Nec divisio & enuntiatio divisiva, facit formaliter scire, habet enim se per modum interrogationis nihil determinatè adstruentis, nihil autem determinatè adstruere, est utique nescire, perinde, ut nescitur, qualis est hic vel ille, dum dicitur est aut ruber aut niger.

RESPONDETUR. Falsum esse quod nihil determinati adstruat divisio aut enuntiatio divisiva, quia si conclusio per discursum illata, quæ infert animal aut esse rationale aut irrationale, facit rem determinatè scire, etiam divisio id habebit. Determinatione illa non orta quidem quasi unum non plura notificentur, sed ex eo, quod de illis pluribus determinatè notitia certa & evidens habeatur, qualis determinatio non habetur, dum nescio an Petrus sit ruber, cum possit esse albus, determinatè autem scitur animal esse aut rationale aut irrationale.

Quamquam formaliter scire, in quo se fundat medius terminus, non est formale, Logicæ, cum id potius spectet ad scientiam in communi.

OBJICITUR III. Ita se habet argumentatio in Logica, sicut Oratio in Rhetorica, sed objectum attributionis Rhetoricæ est Oratio. Ergo & hic argumentatio. Secunda autem operatio non est argumentatio.

RESPONDETUR. Etiam Orationem in Rhetorica sumptam pro illo opere Rhetorica, quod constat Exordio, Confirmatione &c. non esse objectum attributionis, sed potius Orationem sumptam, pro quacunque locutione copiosa & ornata, ex quo sequetur operationem intellectus non tantum sumptam pro tertia operatione, sed & alias esse objectum Logicæ.

Punctum Difficultatis 4.

An tertia Operatio, & non sola demonstratio sit Objectum materiale Logicæ.

DICENDUM EST. *Materiale Objectum Logicæ esse, tertiam etiam Operationem, & non solum demonstrationem.*

PROBATUR. Conclusio lisdem argumentis, quibus & superior.

CONFIRMATUR. Conclusio ex Oviedo. Objectum attributionis debet esse tale, ad quod omnia in scientia revocentur. In Logica, non omnia revocantur ad demonstrationem. Ergo non est Objectum attributionis. Minorem probat. De syllogismo probabili agit Logica, qui non revocatur ad Demonstrationem, neque enim syllogismus probabilis est pars Demonstrationis, neque præsupponitur ad Demonstrationem, imò est species essentialiter opposita & dividens syllogismum in communi. Partes autem essentialiter oppositæ, non ordinantur ad se.

RESPONDEBIS. Syllogismum probabilem non ordinari ad Demonstrationem, cognitionem tamen syllogismi probabilis ordinari ad cognitionem demonstrationis. Cognitionem enim contrarii ducit ad cognitionem alterius.

CONTRA EST. Ergo etiam & cognitio demonstrationis referretur ad cognitionem Syllogismi

gismi probabilis, quia æquè demonstratio est opposita syllogismo probabili, atque illa demonstrationi. Consequenter non sola demonstratio, sed & syllogismus probabilis, erit Objectum Logicæ. Deinde ex vi hujus responsionis innuitur, quod cognitio Demonstrationis, sit potius objectum Attributionis, ad quam ipsa cognitio syllogismi probabilis referatur. Denique si cognitio syllogismi probabilis referretur ad Demonstrationem, vel referretur ratione dispositionis terminorum, quam habet probabilis syllogismus; vel ratione materiæ. Non ratione dispositionis terminorum, quia hæc utrobique scientifica & demonstrativa est: non ratione cognitionis materiæ, quia hoc ipso non referretur cognitio Syllogismi probabilis ad cognitionem Demonstrationis, cognitio enim materiæ syllogismi probabilis, non est cognitio syllogismi probabilis. Addo (quod in hac Materia fundamentum repeti debet) quamvis concederetur posse revocari syllogismum probabilem ad Demonstrationem, quia tamen independenter ab hac revocabilitate potest informari syllogismus probabilis formali Logicæ, fiet ut syllogismus probabilis sit per se considerabilis in Logica.

RESPONDEBIS II. Non ordinari cognitionem Demonstrationis ad cognitionem probabilis syllogismi, quia Demonstratio est quid principalius.

CONTRA EST. Ex eodem Oviedo. Tum cognitio speciei imperfectioris v.g. muscæ non ordinatur ad cognitionem speciei perfectioris, hoc est hominis. Ergo & in presenti idem dicendum. Tum quia æquè conducit cognitio syllogismi probabilis, ad cognitionem demonstrationis, quam cognitio demonstrationis, ad cognitionem syllogismi probabilis, cum sit cognitio objecti, quod est commune, & demonstrationi, & topico syllogismo, nempe Artificium Logicum, seu bonitas consequentiæ. Ergo quamvis Demonstratio sit quid nobilior, cognitio tamen illius nobilioris, in hac consideratione, non excedet cognitionem illius ignobilioris. Tum quia syllogismus probabilis, comparatus ad demonstrationem non habet se ita, sicut Ens rationis comparatum ad Ens, aut sicut oppositum comparatum ad objectum attributionis in quibuscunque scientiis. Ens enim rationis vel non Ens, non est verè Ens, syllogismus autem probabilis, est verè syllogismus, sed habent se isti duo syllogismi, ita sicut calor & frigus, quæ quantumvis sint opposita, quia tamen utrumque est qualitas, ideo utrumque per se consideratur à Physica. Ergo etiam & syllogismus topicus, per se considerabitur à Logica.

Ceterum si nomine objecti attributionis veniat, ut apud aliquos venire solet principalis species objecti, & nobilissima. Hoc sensu demonstratio esset objectum attributionis, sed non debet eo sensu accipi à objectum attributionis.

OBJICITUR I. Sola demonstratio est finis ultimus Logicæ. Ergo & sola objectum. Antecedens probatur. Illud est finis ultimus Logicæ, in quo continetur adæquata perfectio intellectus, sola autem demonstratio supponit, aut includit, omnes tres operationes.

RESPONDETUR. Negando illas supponi aut includi in sola demonstratione, cum hoc competat etiam syllogismo cuilibet. Deinde tam in syllogismo quam in demonstratione includuntur omnes tres Operationes sub aliqua sciibilitate, sed non sub omni, possunt enim considerari tanquam tota quædam; sicut in Physica considerantur elementa, non tantum tanquam partes misti.

INSTABIS. I. Per solam demonstrationem exhauritur cognoscibilitas objecti, quod ipsum probatur. Quia per illam solam cognoscimus partes, essentiam, passionem, effectum objecti. Ergo sola demonstratio est finis ultimus Logicæ.

RESPONDETUR. Negando Antecedens cum sua probatione. Et quamvis concedam per demonstrationem potissime & principaliter exhauriri cognoscibilitatem objecti, dico tamen etiam per definitionem qua totum quoddam est artificiale, exhauriri sciibilitatem definibilitatis objecti.

INSTABIS. II. Exercitium intellectuale ultimæ differentię hominis, est ultima perfectio intellectus humani, sola demonstratio est hoc exercitium. Ergo & sola est ultima perfectio intellectus humani. Sed perfectio ultima intellectus humani est objectum Logicæ. Ergo & demonstratio.

RESPONDETUR. Quod ad maximum exercitium adæquatum intellectualem, sit ultima perfectio, non autem inadæquatum, quale est demonstratio. Dixi etiam supra, quod quædam sit in nobis participatio modi cognoscendi Angelici, quæ elucet in definitione, quæ indubiè non est demonstratio, & tamen in suo genere, ultima perfectio.

INSTABIS III. Si non ponatur demonstratio, non quiescit intellectus, sed nititur ad illam habendam. Ergo illa sola complet perfectiorem intellectus humani.

RESPONDETUR. Etiam, si non ponatur definitio, non quiescit intellectus, sed nititur ad illam habendam. Hinc falsa est hæc Major. Omne illud & solum, quo non posito non quietatur intellectus, sed nititur ad illud habendum, est ultima perfectio intellectus humani.

OBJICITUR II. Definitio & Divisio natura sua sunt partes demonstrationis. Ergo in ordine ad illam considerantur. Cognitio enim partis, refertur ad cognitionem totius, jam autem definitioni, non accidit esse partem demonstrationis.

RESPONDETUR. Cognitionem partis ordinari ad cognitionem totius, ita tamen ut sub diversa considerabilitate possit illa pars, habere rationem

rationem totius, adeoque habere rationem considerabilitatis, non tantum per modum partis. Nego autem quod definitioni non competat ratio considerabilis à Logica, in quantum totum quoddam est, rei naturam explicans, independenter ab hoc, quod ingrediatur demonstrationem.

INSTABIS. Definitio natura sua est illativa conclusionis demonstrativa, est enim illativa cognitionis de proprietate illius naturæ, cuius est definitio.

RESPONDETUR. Non sub omni considerabilitate, definitionem esse illativam conclusionis, sed nonnisi sub aliqua.

OBJICITUR III. Habitus instrumentarii objectum est illud, quo habitus principales, quales sunt, Physica & Metaphysica finem suum consequuntur. Atqui hi habitus per solam demonstrationem finem suum consequuntur. Ergo hæc sola est objectum.

RESPONDETUR. Negando, quod Logica rigorose sit habitus instrumentarius. Negando item quod Metaphysica non habeat pro fine etiam cognitionem, quæ in suo genere est perfecta cognitio, qualis est cognitio definitiva.

Punctum Difficultatis 5.

Colligitur Objectum materiale Logicæ, ubi & de Conceptibus objectivis.

COLLIGES. Ex hæcenus allatis omnes tres Operationes esse objectum materiale Logicæ. Præter jam soluta opponuntur adhuc quædam.

DICES. I. Cum præ Adriano Picarski, Nomina ista numeralia, prima, secunda, & tertia Operatio, non exprimunt id, quod est in re hæc, aut illa in specie Operatio intellectus, sed solum ordinem unius ad aliam; & sicut non rectè assignaretur in Physicis Objectum, Materia prima & secunda, esse enim primam, aut esse secundam, non exprimit rationem corporis ut sic. Ergo neque bene tres operationes assignantur Objectum Logicæ.

RESPONDETUR. An aliqua nomina rem aliquam exprimant vel non exprimant, pensandum est ex acceptance humana. Cum enim voces sint signa ad placitum, si placitum accesserit has vel illas res, his vel illis nominibus designare, hoc ipso designant bene. Tres ergo dictæ Operationes, si sumantur secundum id, quod dicunt etiam implicite, & secundum acceptance uſu jam tritam, bene exprimunt id quod est in re, hoc est, actus simpliciter apprehendendi, qui pertinent ad primam operationem, actus enuntiandi, qui ad secundam operationem, & actus inferendi, quod officium tertiæ operationis, licet explicite non importent id illa nomina numeralia. Porro objectum Physicæ, nomine

materiæ primæ & secundæ, non rectè exprimeretur, quia quamvis non sit corpus nisi Materia prima & secunda, uſus tamen communis & acceptio ad significandam rem corporis, non determinavit voces illas, primam & secundam materiam. Illustratur hoc Instantia. Forma baptismi est. Ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, & tamen hæc forma: Ego te baptizo in nomine DEI, invalida est. Quia licet in re DEUS, sit Pater, Filius & Spiritus Sanctus, uſus tamen communis pro distincta omnium personarum compellatione, nomen hoc DEUS non acceptavit. Ita & hic uſus, non acceptavit nomen materiæ primæ & secundæ, ad significandum corpus, acceptavit autem nomen trium operationum, ad rem apprehendendi, enuntiandi, inferendi significandam. Jam verò acceptasse uſum communem nomen hoc trium operationum, ad rem operationum significandam, vel inde colligitur, quia si quæretur ex oppositis independenter à disputatione, an teneant pro objecto tres operationes intellectus: non sunt quæsituri, quid significant tres operationes, sed tantum sunt dicturi non tenemus.

DICES II. Cum eodem non constat inter Animasticos, an tantum tres sint operationes intellectus. Ergo falso supponitur tres operationes esse objectum Logicæ.

RESPONDETUR. A Classicis tres tantum teneri, conclusioque procedit ex suppositione, quod non nisi tres sint.

INSTAT. Datur in quolibet syllogismo iudicium de bonitate consequentiæ, quod sit specie diversum à iudicio purè enuntiativo & purè illativo. Ergo dantur plures operationes quam tres.

RESPONDETUR. Etiam si illud iudicium foret specie distinctum à purè enuntiativo, nego quod revocari non possit ad iudicium illativum, ut sicut iudicium negativum, specie differt à iudicio affirmativo, & tamen utrumque continetur sub specie iudicii. Ita & illud iudicium de bonitate consequentiæ, revocabitur ad iudicium illativum ut sic. Parum etiam referret, si velles ita circumscriptum iudicium revocatum ad iudicium enuntiativum, si teneas illo iudicio nihil inferri.

DICES III. Cum eodem possibilis est intellectus, qui solis prima & secunda operatione polleat, non indigens unum inferre ex alio, componendo tamen ac dividendo iudicaret, contra quam de facto fiat in Angelico intellectu. Ergo immerito assignantur pro objecto tres operationes.

RESPONDETUR. Negando Consequentiam. Logica enim inventa est, ut perficiat intellectum humanum hunc qui est, qui autem est, habet tres operationes intellectus, & respectu illius possibilis intellectus, Logica nonnisi inadaquatam objectum haberet.

DICES